

res permanens. Unde fit, ut simpliciter duret sacramentum et permaneat, postquam factum est, etiamsi forma transeat. Deinde in hoc sacramento forma solum significat præsentiā corporis, vel sanguinis Christi, materia vero significat unionem fidelium cum Christo, et inter se. Rursus forma est, quæ efficit ipsum sacramentum per actionem physicam et realem, qua panis consecratur, et non efficit gratiam in anima; materia vero explicata ad usum efficit gratiam in suscipiente. Ex quo etiam fit, ut hoc mysterium sit sacrificium seu sacrificatio in ipsa effectione sacramenti, sit autem sacramentum id quod permanet factum per sacrificionem, propter quæ omnia specialem difficultatem habet, quomodo materia et forma in hoc mysterio concurrant ad unum sacramentum componendum. De qua re in hoc eodem tomo ex professo disputandum est, et ideo non oportet concise, sine sufficienti examinatione aliquid definire; præzenti enim loco satis est dicere, ut hoc sacramentum conficiatur, necessarium esse, ut materia præsens adsit, quando profertur forma, cujus virtute consecrata manet, et quodammodo per illam informata.

SECTIO III.

Utrum materia et forma sacramenti sint certæ ac definitæ ex divina institutione.

1. *Varii errores.* — In hac re varii fuerunt errores speciales circa proprias materias et formas singulorum sacramentorum, de quibus suo loco dicendum est: nunc tantum duo ad præsentem locum videntur pertinere. Primus est eorum, qui solis verbis certis putabant confici sacramenta, de actionibus vero, seu materiis nihil curabant. Ita senserunt Paulitiani, ut refert Euthym. in 2 par. Panopliæ, tit. 21. Secundus error est hæreticorum hujus temporis, qui negant requiri in sacramentis definita verba, quæ consecratoria vocamus, sed tantum verbum doctrinæ, seu concionatorium, quia hoc solum necessarium est ad excitandum fidem, et in memoriam revocandum id, quod Christus in sacramentis operatus est: ad hanc autem doctrinam proponendam non sunt necessaria definita verba; variis enim modis, ac verbis fieri potest: ergo præscripta verba requirere ad hominum sanctificationem, superstitiosum est (inquiunt) et veluti quædam magiæ species.

2. *Materia et forma in sacramentis definita.* — Dico primo, materias et formas sacramen-

torum determinatas esse ex Christi Domini institutione, et eo modo, quo definitæ sunt, esse necessarias ad sacramenta conficienda. In hac assertionem comprehendimus utrumque sensum explicatum in commentario art. 5, et in utroque est communis theologorum, et absolute loquendo est de fide, quia res in hac assertionem intenta ex Scriptura sufficienter colligitur, adjuncta Ecclesiæ et Sanctorum expositione, et traditione. Primum de baptismo dixit Christus, Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Ubi materiam remotam designat, proximam vero materiam simul cum forma ponit Matth. ult.: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti.* Similiter de Eucharistia determinata materia ponitur, Matth. 26: *Acceptit Jesus panem, determinata autem forma in illis verbis: Hoc est corpus meum.* Similiter in illis Joan. 20: *Quorum remisistis peccata,* in primo indicatur forma, et in secundo materia pœnitentiæ; de extrema unctione colligitur Jac. 5. Et idem est judicium de cæteris sacramentis, quamvis non sint ita in Scriptura explicata. Ut enim ait Dionysius, cap. 4 de Eccles. Hier.: *Primi sacerdotalis muneris duces visibilibus signis cœlestia sacramenta texuerunt, et partim scriptis, partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt.* Atque in hunc modum explicat ipse determinatum ritum conficiendi ea sacramenta, de quibus in sequentibus capit. scribit. Hinc etiam Augustinus, lib. de Unic. Bapt., cap. 8, dicit sacramenta Christi debere ritu evangelico celebrari, et lib. 3 de Bapt., cap. 45, dicit, baptismum celebrari debere verbis evangelicis; et ubicumque tractat illam quæstionem, an ab hæreticis vera fiant sacramenta, eam tradit generalem regulam, si in eis conficiendis ritum a Christo traditum observant, vera tradere sacramenta et non alias: *Non enim* (inquit Epist. 23) *propterea non regenerant, quia non ab illis hac intentione offeruntur, celebrantur enim ab eis necessaria ministeria;* similia habet lib. 7 de Bapt., cap. 47 et 53, lib. de Unitate Eccles., cap. 49; et Basil., lib. de Spiritu Sancto, c. 40. Ubi perinde dicit esse, si quis expers baptismatis decedat, et si in uno quopiam quæ a Christo tradita sunt deficiens baptismum accipiat; atque idem significat in cap. 45. Tertulianus, lib. de Bapt., cap. 4: *Homo, inquit, in aquam demissus, et inter pauca verba intinctus, et cap. 43, lex tingendi posita est, et forma præscripta.* Unde Vigil. Pap., epist. 4 decret., cap. 2, dicit defectum unius particulæ

copulativæ in forma baptismi, multum derogare veritati sacramenti, et cap. 6, ex eadem causa dicit projiciendum esse ab Ecclesia eum qui in forma baptismi ritum a Christo institutum non servat; et plura statim referemus in conclus. 2. Ratio vero tacta est a D. Thoma, in art. 4, nam hæc sacramenta sunt signa gratiæ, quam conferunt; sed hoc non habent nisi ex institutione divina: ergo ut hanc virtutem habeant, necesse est ut in eis conficiendis divina institutio servetur: ergo oportet, ut ex illis rebus, et verbis constent, quæ Deus decrevit. Quæ ratio satis declarata est in commentario art. 5, ubi etiam diximus, potuisse Deum instituere sacramenta, non determinando certam materiam in specie, vel in aliquo determinato usu, sed liberam hominibus dando facultatem, ut quibus rebus velent uterentur ad sacramenta conficienda, sicut de sacramento legis naturæ postea dicemus; in lege autem gratiæ certum est, non ita fecisse, ut ostendimus, cujus institutionis congruentias nonnullas collegimus ex D. Thoma, in eod. art. 5. Quibus addere possumus, pertinuisse ad perfectionem sacramentorum novæ legis, ut a Christo essent determinata, sicut in veteri lege Deus ipse sacramentorum cæramonias definivit, tum quia hoc confert ad majorem claritatem, et proportionem necessariam in significatione sacramenti; tum etiam quia, cum hæc sacramenta futura essent instrumenta gratiæ, debuerunt ab ipso auctore gratiæ definiri; tum præterea, quia ad majorem Ecclesiæ unitatem, et consensionem necessarium fuit, ut in sacramentis, et sacrificio, in quibus consistit essentialis ritus exterior colendi Deum, tota Ecclesia conspiraret, et conveniret: sicut oportuit, ut esset unum baptismum, quod est janua Ecclesiæ, ad unitatem commendandam; non posset autem hæc unitas servari in universa Ecclesia, nisi essent a Christo determinatæ materia et forma sacramentorum. Denique hoc majorem reverentiam conciliat ipsis sacramentis, quando intelligimus ritum ab ipso Christo tradito, et verbis ejusdem Christi confici.

3. *Materia in sacramentis modo determinata in specie, modo in genere tantum.* — *Mutationes ab Ecclesia factæ in sacramentorum formis, vel materiis, accidentales.* — Quæres, an hæc determinatio materiæ et formæ sit æqualis, seu ejusdem rationis in omnibus sacramentis. Respondetur non esse id necessarium; in quibusdam enim certum est, materiam esse determinatam in quadam

specie ultima, ut est aqua in baptismo, et oleum in extrema unctione; in aliis vero sufficienti unitas generica, ut v. gr. confessio dolorosa est materia sacramenti pœnitentiæ, sive sit dolorosa per attritionem, sive per contritionem, quæ specie differunt, et sive sit de peccato veniali vel mortali, et sive verbo sive nutibus explicetur; in aliis vero materiis dubia res est, an materia sit unius speciei physiciæ, vel unius generis, ut panis et vinum in Eucharistia, et balsamum in confirmatione. Atque idem reperire possumus in formis, quamvis in his major unitas, et determinatio reperiatur; nam in sacramentis excepto matrimonio, requiruntur propria verba certa ac præscripta in sensu et significatione, non in idiomate, ut postea dicemus: in matrimonio vero sufficit quodlibet signum consensum sufficienter significans, sive sit proprium verbum, sive non, ut supra dixi: quia Christus noluit magis determinare materiam et formam hujus sacramenti, quam ad rationem contractus esset necessarium, quia illud satis erat ad significationem hujus sacramenti. Quapropter non dixi requiri in sacramentis determinatam formam et materiam in specie, vel in genere, sed juxta Christi institutionem: in omnibus autem his materiis et formis reperiemus quamdam determinationem in ordine ad particularem aliquem finem, vel usum humanum, ut est in matrimonio conjugale vinculum, nam signum sufficiens ad faciendum hoc vinculum sufficit ad sacramentum; et in Eucharistia panis et vinum, quæ simpliciter talia censentur in ordine ad humanum usum, sunt sufficientes materia sacramenti, et sic de aliis, de quibus distinctius agemus, de singulis sacramentis disputantes, ubi etiam occurremus difficultatibus, quæ hic objici poterant de aliquibus mutationibus, quæ in materiis et formis sacramentorum factæ sunt in Ecclesia: ostendemus enim omnes fuisse accidentales, et non substantiales.

4. *Sacramenta vetera certis ritibus determinata.* — Ex hac vero conclusione, et ratione ejus colligitur primo, idem proportionem servata dicendum esse de sacramentis veteris legis, nam licet illa non constiterint materia et forma, seu verbis et rebus, tamen ex divina institutione habuerunt certum et determinatum ritum, et ideo de eorum necessitate erat, ut fierent in eis rebus, vel actionibus, quas Deus instituerat.

5. *Verbum concionatorium non est simpliciter necessarium in sacramento.* — Secundo

sequitur, in sacramentis novæ legis non esse simpliciter necessarium verbum concionatorium, ut hæretici dicunt, sed consecratorium, ut patet ex dictis, et ex eisdem fere locis Scripturæ et Sanctorum. Christus enim, quando Eucharistiam confecit, non est usus verbo concionatorio ad docendum, sed verbo apto ad consecrandum panem et calicem, eo modo quo ad veritatem talium verborum fuit necessarium. Unde Paulus 1 ad Cor. 10: *Calix*, inquit, *cui benedicimus*, idest, quem verbis consecramus, benedictio enim verbis fit. Præterea Matth. ult. prius dixit Christus Apostolis: *Euntes docete omnes gentes*, et postea subdit: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, et postea: *Docentes eos servare omnia*, etc.; illud ergo verbum: *In nomine Patris*, non significat verbum doctrinæ, quia jam hoc præmiserat, sicut catechismus solet præcedere baptismum, ut bene Hier. notavit; et ideo simpliciter dixit Christus: *Docentes eos*, scilicet, non tantum mysterium Trinitatis, sed fidem absolute; postea vero specialiter exprimit mysterium Trinitatis, tanquam necessario explicandum in forma baptismi: quod etiam indicat illa particula, *in nomine*, id est, in invocatione, juxta illud ad Cor. 1: *Numquid in nomine Pauli baptizati estis?* hoc est, numquid super vos invocatum est nomen Pauli quando baptizati estis? sic enim intelligunt Patres omnes, quos infra agentes de baptismo latius referemus: nunc satis erit unum vel alterum commemorare præter citatos in prima assertione. Cyprianus serm. de Baptismo. Christ.: *Verborum*, inquit, *solemnitas et sacri invocatio nominis, et signa Apostolicis institutionibus et sacerdotum ministeriis attributa, visibile efficiunt sacramentum*. Augustinus, epist. 118, hoc sensu dicit, consecrari baptismum in nomine Trinitatis, et 19 contra Faustum, c. 16, dicit: *Nisi illæ syllabæ celeriter sonantes et transeuntes dicantur, non consecratur*; et lib. 20, cap. 13: *Noster calix et panis certa consecratione mysticus fit nobis*; et lib. 13 de Baptismo, cap. 10 et seq., idem late docet. Ac denique hunc sensum habent illa ejus verba, tract. 80 in Joan.: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*; quem locum prave interpretantur hæretici, quia re vera subobscurus est, nam si antecedentia et consequentia considerentur, interdum de verbo doctrinæ, interdum de sacramentali loqui videtur; nunquam tamen dicit, verbum concionatorium esse de ratione sacramenti, sed tantum

verbum aliquod nostram sanctificationem efficiens: unde videtur generatim loqui de verbo, quo sanctificamur. Tandem veritas hæc satis definita est in Concil. Florent., ubi præscripta verba docet esse necessaria ad consecranda sacramenta, idemque colligitur ex Concil. Trident., sess. 7, can. 13, de Sacram. in genere, et can. 3, de Baptismo, et ex cap. *Ad abolendam*, de Hæreticis, ubi generaliter damnantur, qui aliter de sacramentis sentiunt, quam Ecclesia Romana docet. Ratione possumus in hunc modum argumentari contra hæreticos: nam, vel ipsi existimant, verbum concionatorium esse necessarium ad conficienda sacramenta, vel non: si negant esse necessarium, sequitur ex eorum sententia, nullum verbum esse necessarium in sacramentis, quia omnino rejiciunt verbum consecratorium, tanquam superstitiosum, et nullius efficaciam ad sacramenta conficienda; consequens autem esse contra fidem, supra ostensum est. Si vero asserant, verbum concionatorium esse necessarium ad veritatem sacramentorum, in primis oportet, ut ostendant, ubi Christus hoc instituerit, aut præceperit, nobis enim traditum non est, neque etiam in Scriptura id legimus, sed potius in ea contrarium indicatur, ut vidimus: ipsi autem dicunt nihil esse credendum, nisi quod in Scriptura continetur. Secundo, si ratione uti velimus in re quæ ex institutione pendet, nulla est probabilis conjectura ob quam hoc verbum requiratur, nam concio per se non est necessaria propter eum qui suscipit sacramentum, nam sæpe non est capax ejus, ut parvuli, phrænetici; sæpe vero illo non indiget, quia est sufficienter instructus et dispositus. Neque est etiam necessaria propter circumstantes, tum propter similes rationes, tum quia accidentarium est, ut alii adsint, imo in sacramento Confessionis regulariter est necessarium ut non adsint; atque simile argumentum fieri potest ex parte ejus a quo præmitti debet hæc concio: aut enim necessarium est, ut fiat a ministro, vel ab alio: non primum, quia non est de ratione ministri sacramenti, ut possit docere, nam aliud est baptizare, aliud evangelizare, ut Paulus dicit 1 ad Cor. 4, ubi Anselmus advertit, non omnem illum, qui est idoneus ad sacramentum administrandum, esse etiam ad docendum; et Ambrosius addit sacramentum perfici verbis solemnibus, et ideo necessarium non esse, ut qui baptizat docere possit, et advertit, Petrum docuisse Cornelium, et domum ejus, postea vero præ-

SECTIO IV.

Utrum omnis mutatio materiæ aut formæ sacramentorum sit contra eorum substantiam et veritatem.

cepisse, ut a ministris baptizaretur. Neque etiam dici potest secundum, scilicet hoc verbum adhibendum esse a ministro, vel ab alio, tum quia, non est de necessitate sacramenti, ut alius, præter ministrum et eum qui suscipit sacramentum, ibi operetur. Tum etiam, quia forma sacramenti semper a ministro adhibenda est, ut postea videbimus. Rursus potest simile argumentum confici ex parte ipsius doctrinæ, nam interrogo quid sit necessario docendum, ut sacramentum conficiatur: numquid tota doctrina fidei, aut aliquod certum mysterium, aut fortasse institutio illius sacramenti quod tradendum est? quidquid responderint, sine fundamento loquentur, et contra Ecclesiæ consuetudinem. Quin potius sequitur, si hæreticus ministret sacramentum servato ritu Ecclesiæ, præmittendo vero falsam doctrinam, non conficere sacramentum, quia illud verbum non est verbum fidei, sed erroris: quod si dicant quodlibet verbum sufficere, cujuscumque doctrinæ, vel mysterii sit, nihil certe potest dici absurdum, et præterea refutari potest omnibus argumentis adductis in priori assertionem, quibus ostendimus, determinata verba esse ad conficienda sacramenta necessaria. Ad fundamentum autem hæreticorum respondetur, eos errare ex alio falso principio, nimirum sacramenta non deservire, nisi ad excitandam fidem, per se autem nihil valere, et ideo dicunt esse superstitiosum, uti determinatis verbis, cum ad excitandam fidem quælibet verba possint sufficere. Fides autem docet sacramenta ipsa per se multum valere, tum ad significationem, ut ostensum est, tum ad efficaciam, ut dicemus latius q. 62, et ideo merito requiri determinata verba, quæ cum sint verba Dei, et ab ipso Christo tradita, non possunt esse superstitiosa, sed aptissima tum ad colendum Deum, tum ad nostram sanctificationem, nam verbo Dei sanctificantur etiam ipsi cibi, ut Paulus ait, 1 ad Timotheum 4. Nulla etiam verba aptiora sunt ad Deum orandum, quam illa, quæ ipse nobis tradidit: sic ergo nulla esse possunt aptiora ad Deum colendum. Denique in hoc nulla est major ratio de verbis, quam de rebus. Si ergo determinatæ res sunt necessariae, et non est superstitiosum uti aqua in baptisate, et vino in Eucharistia potius quam aliis rebus, quia Christus sacramentorum et nostræ religionis auctor has res definivit, atque instituit, cur erit superstitiosum uti definitis ac consecratoriis verbis, ex ejusdem Christi voluntate et institutione?

4. Ratio dubitandi oritur ex præced. sect.; dictum est enim, de necessitate sacramentorum esse determinatas formas et materias; ergo si in his fiat immutatio, non manebit sacramentum, sicut si vera forma, aut materia hominis auferatur, vel mutetur, non manebit homo. In contrarium vero est, quia non omnis immutatio est substantialis, sed aliqua est accidentalis, quas oportet distinguere; duæ enim regulæ sunt in hac materia observandæ.

2. *Mutata materia aut forma substantiali, nullum est sacramentum.* — Prima regula est: si mutatio materiæ et formæ substantialis seu essentialis sit, nullum efficitur sacramentum. Hanc probat ratio facta ex doctrina præced. sect., quia per hujusmodi mutationes tollitur vera materia, aut vera forma essentialis sacramenti. Et confirmari potest ex Concil. Nicæn., can. 19, ubi baptismus, quem hæretici Paulinianistæ dabant, judicatur nullus, non quia ab hæreticis daretur, hoc enim non est contra substantiam sacramenti, sed quia mutabant veram et essentialem formam, ut constat ex Innocent. I, epist. 22, cap. 5. Atque simile est, quod in Concil. Laodicen., cap. 8, dicitur, baptismum Cataphrygarum esse nullum, quia videlicet mutabant formam, ut notavit Prateol., verbo Cataphrygæ, et Sander., hæres. 32, quamvis antiqui hunc errorem in Cataphrygis non notent, sed solum dicant eos de Trinitate male sensisse, ut in Augustino et Da. videre licet.

3. *Mutatio tantum accidentalis in materia vel forma non destruit sacramentum.* — Secunda regula est: si in materia, vel forma sacramenti fiat mutatio tantum accidentalis, non omnino destruitur sacramentum, sed factum tenet. Est communis et certa, quæ sumitur ex Zacharia Pap., epist. 1 ad Bonifacium, et habetur in cap. *Retulerunt*, de Consecr., d. 3, ubi docet, mutationem factam in forma baptismi ex ignorantia ejusdam non irritasse baptismum, quia accidentaria erat. Sic etiam Augustinus, lib. 6 de Bapt., cap. 25, dicit, dummodo verba evangelica serventur, sine quibus baptismus nihil valet, licet interdum per imperitiam aliquid ex errore misceatur, nihilominus perfici sacramentum. Ratio vero est, quia sola accidentalis mutatio non variat substantiam rei; ergo etiam in sacramentis

illa non obstante, manere poterit substantia sacramenti, atque adeo verum sacramentum.

4. *Ut differat mutatio substantialis, et accidentalis.* — *Materia attendenda est in ordine ad usum humanum.* — Ut vero distinguamus has mutationes, sit tertia regula circa materias sacramentorum: quando mutatio materiae tanta est, ut juxta communem usum, et conceptionem hominum minime conveniat ratione et nomine cum materia ab Ecclesia usitata, et a Christo praescripta, tunc mutatio est essentialis, alioqui est accidentalis. Declaratur exemplis: materia baptismi est aqua: si ergo mutatio fiat ex elementalibus aqua in rosaceam, mutatio est essentialis, quia aqua rosacea, nec simpliciter est aqua, neque rationem aut usum aquae simpliciter dictae habet: si vero solum mutetur aqua ex frigida in calidam, mutatio est accidentalis, quia aqua calida simpliciter et nomen et rationem et usum aquae retinet. Simile est in Eucharistia de materia panis, nam si mutetur ex azymo in fermentatum, et e contrario, accidentalis est mutatio, quia uterque est simpliciter panis, si triticeus sit; si tamen ita fiat mutatio, ut ex alia re conficiatur, mutatio est essentialis, quia jam ille, neque in re, neque in usu hominum censetur simpliciter panis. Ratio vero est clara ex supra dictis, nam materia sacramentorum est determinata a Christo; ergo necesse est, ut sub aliqua ratione et nomine determinationem habeat; ergo, si tanta sit mutatio, ut amittat illam rationem, et consequenter nomen, erit mutatio essentialis; si minus, erit accidentalis. Adjungo autem mutationem nominis cum mutatione rei, non quia illa sit per se necessaria: nam, sicut in rebus ipsis consistit sacramentum, ita mutatio rei est, quae per se pertinet ad veritatem vel nullitatem sacramenti; tamen, quia nomina sunt nobis signa rerum, ideo amissio nominis est magnum morale argumentum, quod res etiam mutata sit: agimus enim de nomine communi, quo propria rei substantia indicatur. Observandum autem est, quod supra etiam adnotavimus, hanc rationem materiae non semper esse considerandam secundum aliquam rationem ultimam ac physicam, sed in ordine ad humanum usum, et ut significatur per nomen, quod hujusmodi usum respicit: quia istae materiae sacramentorum designatae sunt in aliquibus actionibus humanis vel in ordine ad illas, et sub ea ratione habent propriam determinationem, et essentialem immutabilitatem; exemplum vulgare est in

pane, qui est materia Eucharistiae: massa vero nondum cocta non est materia, sive differat a pane in specie substantiali physica, sive non, quia non est panis qui possit esse cibus humanus. Denique in praxi hujus regulae observanda maxime est traditio Ecclesiae: nam omnis illa mutatio materiae, quae juxta usum Ecclesiae non destruit sacramentum, accidentalis est, neque in hoc potest Ecclesia errare, si traditio sit universalis, vel approbata ab universali Ecclesia, quia haec res maxime pertinet ad fundamenta fidei et morum, in quibus Ecclesia errare non potest, cum sit columna et fundamentum veritatis.

5. *Mutatio varians sensum verborum substantialis.* — Quarta regula ad formas sacramentorum pertinens est, mutationem illam, quae variat sensum verborum formae, esse substantialem: si vero illum non variet, esse accidentalem: ita D. Thomas hic, et late Scot. in 4, d. 3, quaest. 2; Gabr., quaest. 4, et alii, quos statim referam, et in eadem sententiam adducit D. Thomas Augustinum, ut in Commentario art. 7 visum est: exemplum afferemus statim. Ratio vero est, quia sensus est veluti anima verbi, quia verbum non proferitur propter sonum, sed propter sensum, et ideo, si idem sensus maneat, idem verbum, atque adeo eadem forma manere censetur: si autem mutetur sensus, et verbum et formam substantialiter mutari necesse est.

6. *Octo mutationum modi in verbis esse possunt.* — Sed, ut haec regula clarior sit, et ad usum possit accommodari, oportet omnes mutationes, quae in formis sacramentorum contingere possunt, distinguere. Octo autem potissimum reperio hujus mutationis genera, seu modos. Prima mutatio est idiomatis, scilicet unius linguae in aliam, de qua certa fide tenendum est, esse accidentalem tantum, alioqui oporteret sacramenta conficere in ea lingua, seu idiomate, quo Christus locutus est, quod aperte constat esse haereticum: si autem verba, quae Christus protulit Hebraice, vel Syriace, possunt Graece vel Latine prolata ad sacramenta conficienda sufficere, eadem ratione quodlibet genus linguae, vel idiomatis sufficere, quia non est major ratio de uno, quam de alio, et ratio generalis omnibus est supra dicta, quia retinetur idem sensus. Dices, Ecclesiae usum, vel praecipuum posse efficere, ut unum idioma potius, quam aliud sufficiat. Respondetur, Ecclesiam posse praecipere, ut hoc, vel illo idiomate utamur in conficiendis sacramentis: et tunc male faciet, ac peccabit,

qui tale praecipuum fuerit transgressus alio idiomate utendo: non potest tamen Ecclesia efficere, ut ea solum de causa sacramentum nullum sit, si idem sensus formae retineatur, quia in his, quae sunt de substantia sacramentorum, nihil potest immutare, neque aliquid ut essentialiter praescribere, quod juxta Christi institutionem essentialiter non sit.

7. Unde recte etiam observavit Cajetanus hic, art. 7, circa solut. ad 2, mixtionem idiomatum, etiamsi in eadem numero forma fiat, non esse contra substantiam sacramenti, dummodo singulae voces ejusdem significationis sint cum verbis formae, et in unam orationem conjunctae eundem sensum referant. Ex quo intelligitur, aperte errare haereticos hujus temporis, qui necessarium putant, ut sacramenta in singulis nationibus et provinciis in vulgari lingua conficiantur, contra quorum errorem sufficit Ecclesiae traditio et auctoritas: ac praeterea, si de necessitate simpliciter ad sacramenti substantiam loquantur, satis convincuntur ratione praedicta, quia non minus significant verba in alio idiomate, quam in vulgari. Quod si dicant, vulgarem populum non intelligere significationem, respondetur primum, id non esse necessarium, ut saepe Dionysius repetit, de Eccles. Hierarch. Deinde satis est, quod confuse intelligant illa actione, et verbis saceris significari sanctificationem nostram, et hoc omnes intelligunt, etiamsi propriam verborum significationem non percipiant. Si autem loquantur de necessitate praecipui, seu majoris congruentiae, confutabitur latius hic eorum error inferius, cum de ritibus, ac caeremoniis sacramentorum disputabimus.

8. *Verbum aequivocum in bono tamen sensu prolatum non destruit sacramentum.* — Secunda mutatio est, quando intra idem idioma ponuntur alia verba, quam ea, quibus Ecclesia uti consuevit, easdem tamen res significantia, ut si loco Patris et Filii, ponantur, genitor, et genitus, et loco verbi, Baptizo, ponatur verbum, abluo, et sic de reliquis; et in hac mutatione diligenter observandum est, an voces revera idem significant, ita ut synonymae sint: nam tunc sine dubio est mutatio accidentalis, quia est idem sensus: si autem voces non sint synonymae, erit essentialis mutatio: quia jam non tantum sonus, sed etiam significatio vocum mutatur, et ideo cavendum est, ne in dubio haec mutatio fiat, quia dubium consequenter erit ipsum sacramentum. Quocirca ulterius est circa hanc mutationem observandum, cum dicimus, debere voces significare easdem

res, intelligendum esse de significatione aequae distincta et clara; nam si quod quibusdam verbis distincte significatur, aliis significetur confuse, non potest dici aequivalens significatio, ut, si loco illorum verborum: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, dicatur: In nomine Trinitatis, mutatio est essentialis propter dictam causam. Atque eadem ratione (ut Soto merito advertit) necessarium est, ut significatio vocis, in quam fit mutatio, sit publica, et communi impositione recepta: nam si quis suo arbitrio, et privata auctoritate tentet imponere novas voces ad id significandum quod voces sacramentales significant, etiamsi eis utatur animo conficiendi sacramentum, nihil faciet: quia non possunt illa verba simpliciter dici significare ad placitum, tanquam verba humana, et ad communem usum hominum deservientia, qualia esse debent verba sacramentalia, ad quorum significationem necesse est, ut verba habeant praedictam significationem publicam, et usuaem (ut sic dicam). Praeterea tertio est in hac mutatione observandum, accidere posse, ut verba, in quae fit mutatio, sint aequivoca, et in una significatione omnino referant eundem sensum, quem habent verba sacramentalia, in alia vero minime, et tunc difficultas esse potest, an talis mutatio sit substantialis. Videtur enim multum variare significationem vocis: nam eam, quae erat certa et determinata, reddit incertam et dubiam. Nihilominus, si debita intentione proferantur, in eo sensu quo sacramentalia verba, dicendum est mutationem esse accidentalem; et in primis, si ex adjunctis verbis et circumstantiis satis determinentur verba ad talem significationem, res videtur clara: sicut etiam e contrario, si ex adjunctis determinarentur verba ad alium sensum et significationem, mutatio esset essentialis, et destrueretur sacramentum; quia tunc quodammodo tollitur aequivocatio, quia definiuntur verba ad certam significationem: unde si in illa reddant eundem sensum cum forma, satis sufficiens erit ad substantiam sacramenti. Deinde, si verba mancant in sua aequivocatione et ambiguitate quoad exteriorem sonum, et tamen ex animo et intentione proferentis determinentur ad significationem et sensum verborum formae, id satis esse videtur, ut mutatio sit accidentalis: nam illa verba in ea significatione sunt synonyma cum verbis formae, et in ea proferuntur; ergo ut sic, referunt eundem sensum; ergo sufficient ad substantiam sacramenti. Confirmatur, nam sola

æquivocatio non videtur sufficiens ad mutationem substantialem, si alias servatur significatio, et debita intentio, tum quia fere in omnibus vocibus est aliqua æquivocatio, quæ, vel ex communi usu, vel ex intentione loquentium, ad alteram significationem determinantur; tum etiam, quia in aliis rebus et exemplis, quæ attigit D. Thomas, art. 8, et in sequenti sectione tractabimus, negari non potest, quin aliquando voces dubiæ, vel æquivocæ, juxta intentionem proferentis possint sufficere ad substantiam sacramenti. Unde consequenter fit, si minister proferat verba æquivoca, et animo suo intendat ea proferre in sensu alieno a verbis formæ, tunc esse mutationem substantialem, quia tunc illa verba, ut ab isto prolata, non significant, neque habent eundem sensum, quem forma sacramenti.

9. *Usitata censentur verba, quæ communis usus Ecclesiæ recepit.* — Atque ex dictis circa hanc mutationem colligitur, quomodo intelligenda sit regula, quam D. Thomas tradit art. 7, ad 2, quando in aliqua lingua eadem res pluribus vocibus significatur, illam esse assumendam ad conficiendum sacramentum, qua homines illius linguæ principaliter et communiter utuntur ad illam rem significandam; nam hoc in primis intelligendum est de communiore usu Ecclesiastico, ut Cajetanus notat, exemplum adhibens in verbo, Baptizo, quod apud Latinos non est proprium neque usitatum ad actum abluendi significandum, tamen ex usu Ecclesiæ accommodatum est ad eam significationem, prout usurpatur communiter in forma baptismi. Deinde, verbum illud *debet*, non significat necessitatem simpliciter ad substantiam sacramenti: quia, ut ex dictis constat, si verba sint synonyma, quodlibet eorum sufficet ad significationem ejusdem sensus, et consequenter ad substantiam sacramenti, etiamsi alterum eorum principaliter sit, seu magis usitatum: solum ergo significatur illo verbo, vel congruens ratio, ob quam Ecclesia fere semper utitur hujusmodi verbis magis usitatis, in formis sacramentorum, vel potius significatur obligatio, quam ministri sacramentorum habent utendi in sacramentorum formis verbis illis, quibus Ecclesia uti solet: nam illa simpliciter dicenda sunt principaliora, et communiora in hujusmodi usu.

10. Tertia mutatio est per transpositionem verborum, ut si quis dicat, Baptizo te, vel si activam orationem in passivam convertat, et

in hac mutatione idem, quod de præcedenti, dicendum est: nam, si sensum mutet, est contra substantiam sacramenti: non vero si sensus idem sit, quod ex usu verborum et communi significatione judicandum est: regulariter tamen hæc mutatio erit accidentaliter, quia si singulæ formæ sacramentorum considerentur, hæc sola mutatio vix potest sensum formæ variare.

11. *Verba disjuncte prolata quando tollant substantiam sacramenti.* — Quarta mutatio esse potest per interpolationem, seu disjunctionem partium, seu verborum formæ, ut si prius dicat, Ego te baptizo, et ibi aliquantulum sistat, vel etiam de rebus aliis loquatur, et postea subjungat, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; et in hac mutatione nihil potest certius dici, quam quod in superioribus de materia et forma sacramenti diximus, et de morali propinquitate quam requirunt, eadem enim moralis regula servanda hic est: nam, si tanta est disjunctio verborum, ut ex modo proferendi communi sensu judicetur ex illis non confici unam orationem, nec reddi unum integrum sensum, mutatio est substantialis, quia non solum singulæ voces, sed etiam debita earum compositio est de substantia formæ; quia esse debet oratio ex illis vocibus composita, ut possit verum ac proprium sensum talis formæ reddere; at vero si mora aut disjunctio tam parva sit, ut ea non obstante censeantur juxta communem sensum voces illæ sufficienter conjungi ad unam orationem componendam, et unum integrum sensum efficiendum, mutatio erit accidentaliter, ut constat ex generali principio posito. Quando vero interruptio sit hujus vel illius generis, non potest certa ac indivisibili regula definiri, sed ex modo, et ex duratione temporis, et ex aliis circumstantiis prudenter est judicandum. Quapropter ad tollendum omne dubium diligenter cavendum est, ne hujusmodi interpolatio fiat.

12. *In additione, vel detractioe verbi, mutatio qualis.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Quinta mutatio esse potest per additionem aliqujus verbi, et sexta per subtractionem, de quibus late agit D. Thomas hic, art. 8, ubi, quod dicit de intentione ministri, in sequenti sectione examinabitur. Quod vero ait de sensus mutatione ex dictis satis explicatum est: nam si additio vel subtractio talis sit, ut mutet debitum sensum formæ, mutatio erit substantialis, et contra sacramenti veritatem, alioqui erit accidentaliter. Solum objici potest,

quia vix fieri posse videtur, ut aliquod verbum subtrahatur, et non mutetur sensus formæ; ut in exemplo illo quo D. Thomas utitur, de forma Eucharistiæ, *Hoc est enim corpus meum*: nam si tollatur particula *enim*, dicitur esse mutatio accidentaliter, et tamen mutatur sensus propositionis, quia mutatur propositio causaliter in propositionem de inesse, quæ valde diversos referunt sensus. Respondetur in primis, non semper mutari ullo modo sensum, ut si in forma baptismi, vel penitentiae tollatur pronomen *ego*. Deinde, considerandus est sensus per se intentus in forma sacramenti: ille enim est substantialis, et simpliciter necessarius, et quod illi additur, vel subtrahitur, accidentale est; ille autem sensus est per se intentus in forma, quo proprius sacramenti vel ipsius formæ effectus significatur, in quo discernendo Ecclesiæ traditio potissimum consulenda et sequenda est: ut in dicto exemplo de Eucharistia substantialis sensus formæ est, ut significet conversionem substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi, et hic sensus non mutatur ablata particula *enim*, et ideo mutatio illa accidentaliter est.

13. *Syllabarum corruptio quanta esse debeat, ut sacramentum destruat.* — Septima mutatio est per aliqualem formæ corruptionem, ut est in illo vulgari exemplo sumpto ex Zacharia Pap., in d. c. *Retulerunt*, si in forma baptismi quis dicat, In nomine Patrias et Filias, etc. De qua idem Pontifex tradit regulam a nobis positam, considerandum nimirum esse, an corruptio sit tanta, ut omnino tollatur sensus, nam tunc erit substantialis mutatio: non vero si verba sic corrupta possint eundem sensum reddere. Nec necesse est, ut verba sic corrupta per se sumpta habeant in rigore illam significationem, sed satis est, ut ex modo quo hic et nunc proferuntur, juxta communem concipiendi modum, talem sensum generent in audientibus; sicut in prædicto exemplo, vox Patrias, per se sumpta in rigore, longe aliam significationem habet quam vox Patris; tamen posita in illa oratione, et accommodata illi actioni, juxta communem modum concipiendi, idem significat, atque eundem sensum reddit, et hoc satis est, ut illa mutatio accidentaliter censeatur. Addit vero D. Thomas hic, art. 7, ad 3, quando corruptio contingit in principio dictionis, frequentius esse substantialem, et omnino mutare sensum, ut si loco Patris, dicatur Matris. Quod sæpe fortasse ita est in

aliquibus vocibus Latinis, nam in aliis fieri potest, ut major sit mutatio in fine dictionis facta, ut si, pro Baptizo, dicatur, Baptizor, et sic de aliis. Quapropter communis sensus et modus concipiendi potissimum est consulendus, ac fortasse magis conferet observare, an corruptio talis sit, ut cum illa, verba non habeant alium legitimum et coherentem sensum præter sensum formæ, nam tunc regulariter eundem sensum retinent, atque ita corruptio erit accidentaliter, et ejusmodi est illa, In nomine Patrias, etc.; quando vero per corruptionem transeunt verba in aliam significationem valde diversam, legitimam et coherentem orationi, quæ resultat ex verbis sic corruptis, tunc regulariter est mutatio substantialis, vel ut minimum, reddit formam valde dubiam, ut patet in illis mutationibus, In nomine Matris, vel, Ego baptizor, et sic de aliis.

14. *Mutatio signi in signum, ut in nutus, scripturam, etc., in matrimonio valet, in aliis non item.* — *In sacramento penitentiae requiri verba proprie, probabilissimum.* — Octava mutatio esse posset, si omnia verba formæ mutarentur in alia signa, vel nutus, vel scripturam, de qua dicendum est, in matrimonio esse accidentalem propter rationem supra datam, in aliis vero esse substantialem, quod in quinque sacramentis certum est, de penitentiae vero sacramento nonnulli dubitarunt, an possit sufficere forma, seu absolutio scripto missa, sed longe probabilius est non sufficere, sed verba propria requiri ex Christi institutione, quam habemus ex Ecclesiæ traditione, et doctrina Concil. Florent., cujus generales congruentias supra tradidimus, cum ostenderemus, verba esse in sacramentis necessaria, et assignavimus peculiarem causam excipiendi matrimonium, quæ omnia in singulis sacramentis latius examinanda et confirmanda sunt.

SECTIO V.

Utrum ex scientia vel intentione ministri pendeat, quod mutatio facta in forma sacramenti substantialis sit vel accidentaliter.

1. Ratio dubitandi sumitur ex Zacharia Pap., dict. c. *Retulerunt*, ubi dicit, illam corruptionem formæ baptismi, In nomine Patrias, etc., non esse contra substantiam sacramenti, si ex ignorantia facta sit, et non ex intentione introducendi novum ritum in Eccle-